DE

PHILONIS JUDAEI ΛΟΓΩΙ

INQUISITIO,

QUAM IN USUM THEOLOGORUM

SCRIPSIT

AGATHON HARNOCH,
PASTOR OSTERODENSIS BORUSSUS.

REGIOMONTI MDCCCLXXIX.
LITTERIS HARTUNGIANIS.

DE

PHILONIS JUDAEI ΛΟΓΩΙ

INQUISITIO,

QUAM IN USUM THEOLOGORUM

SCRIPSIT

AGATHON HARNOCH,
PASTOR OSTERODENSIS BORUSSUS.

REGIOMONTI MDCCCLXXIX.
LITTERIS HARTUNGIANIS.

Πάντα ὑμῶν ἐστιν.
Πάντα δοκιμάζετε,
Τὸ καλὸν κατέχετε.

Ad Cor. I, 3, 21; ad Thess. I, 5, 21.

Πάντα ὑμῶν ἐστιν.
Πάντα δοκιμάζετε,
Τὸ καλὸν κατέχετε.

Ad Cor. I, 3, 21; ad Thess. I, 5, 21.

Erant antiquissimis temporibus multi atque docti viri, quorum nomina jam multi excipiunt anni insequentes, quorum scripta nobis aetate recentioribus maximae sunt utilitati. In numero virorum, qui scribendo tantam assecuti sunt gloriam, ut jam per saecula memoria teneantur, Philo Judaeus est habendus, qui non modo Judaeis suae aetatis, sed etiam ecclesiae Alexandrinae patribus tanquam Plato vel *ἀνὴρ θεῖος* videbatur esse. Ac Philo quidem, parentibus Judaicis natus, frater *τοῦ Ἀλαβάρχου*, antistitis Judaeorum Alexandrinorum, temporibus Christi Alexandriae, quam urbem *ἡμετέραν Ἀλεξανδρείαν* vocat, viguit et anno quadragesimo p. Chr. ibidem mortuus esse dicitur.

Priscis temporibus permulti Judaei, quibus imprimis Ptolemaeus Philadelphus (284—247) favebat, Alexandriae sedem ac domicilium collocaverant. Qua in urbe et Judaei et Graeci ad studia, quae Ptolemaei regia munificentia benignitateque alebant, diligenter incumbebant, sic Philo Judaeus, cujus scripta, a Thoma Mangeio 1742, Pfeiffero 1785—95, Richtero 1828—30 et Tauchnitio edita, in tres disponimus partes, in scripta de pentateucho, in scripta ad philosophiam pertinentia et in scripta politica.

Quamquam nostris temporibus multa, quae in scriptis Philonis inveniuntur, multis videntur esse obscura, quamquam Philonis allegoria ac penuria consequentiae

a multis vituperatur ineptia, tamen ex doctrina Philonis unam partem hac in commentatione describere conaturi sumus. Maxime autem Philonis doctrina de *λόγῳ* nos delectavit, de qua re jam nobis erit agendum.

Atque in explicanda ea re demonstrare volumus, quam rationem *λόγος* Philonis habeat cum mundo, cum viribus, cum sapientia, cum deo; denique de *τοῦ λόγου* origine ac persona dicemus.

Doctrina Philonis de *λόγῳ* posita est in libris Veteris Testamenti, quos libros Philo modo in interpretatione Alexandrina, quae Ptolemaeo Philadelpho regnante exorta esse dicitur, noverat, quamquam nonnulli putant, Philonem in Palaestina fuisse atque linguam Hebraicam cognovisse (cf. Gfroerer, Philo und die alexandrinische Theosophie I, 6). Praeter theosophiam orientalem aliasque literas Judaeorum philosophia quoque antiquissimorum temporum, cujus studio philosophus erat deditus, in Philonis philosophiam de *λόγῳ* maximam vim exhibebat, sic philosophia Platonis, Herocliti, Stoicorum, quamquam sunt, qui Philonem Stoicorum philosophiam secutum esse negent (cf. Tiedemann, Geist der speculativen Philosophie, III, 30). Platoni Philo ita sese applicavit, ut temporibus christianis vulgo dicerent: *ἢ Πλάτων φιλωνίζει ἢ Φίλων πλατωνίζει.*

I.

Philo deum partim a mundo disjungit partim cum eo conjungit. Deus nusquam est, quia natura aliquando interitura eum complecti nequit. Cum in fragmentis Aristobuli, illius pilosophi Judaici, qui, Ptolemaeo Philometore (181—145) regnante, Alexandriae vitam degebat, legimus, deum *διακρατεῖσθαι θείᾳ δυνάμει τὰ πάντα καὶ γενητὰ ὑπάρχειν καὶ ἐπὶ πάντων εἶναι τὸν θεόν,* cum porro in epistola Pseudo-Aristeae ad Philocratem

quendam, in qua res scripturae sacrae interpretandae narrantur, a deo maximo, qui in coelis regnat, *δύναμις* (potentia) et *δυναστεία* (imperium) dei, quae ubique adsunt (*διὰ πάντων ἐστίν, πάντα τόπον πληροῖ*), discernuntur, Philo docuit, deum multum a mundo distare, tamen ubique esse — *Ὁ θεὸς ἐν οὐρανῷ ἄνω καὶ ἐπὶ τῆς γῆς κάτω*, — ubique vero versari non substantialiter, sed modo viribus.[1])

Thales Milesius principium mundi duxit aquam, Anaximander *τὸ ἄπειρον*, Anaximenes aëra, Anaxagoras Clazomenius *τὰ σπέρματα, τὰ χρήματα, τὰ ὁμοιομερῆ στοιχεῖα*, Democritus Abderites *τὰς ἀτόμους* (*οὐσίας*), Plato *τὴν ὕλην*. Ex sententia Philonis in principio vel ante creationem mundi chaos erat, illud תֹהוּ וָבֹהוּ, de quo in libro Genesis. I, 2 legimus; in principio erat *ἡ ὕλη*, materia sine forma. In hac re quaestio Philoneae philosophiae erat posita. Magnum inter deum et hanc materiam spatium erat implendum.

Deus, ut mundus visibilis crearetur, primum *τὸν κόσμον νοητόν*, mundum idearum vel *δυνάμεις* finxit. Materiam propter suam bonitatem excelsitatemque ipse attingere noluit.[2]) Qua de causa in creando mundo visibili deus viribus mediis, quos Philo vocabat *δυνάμεις*, usus est, quod Philo ex numero plurali Genesis I, 26: „*ποιήσομεν ἄνθρωπον*“ conclusit. Maxima vis *λόγος* est.

Jam quaeramus, quam rationem *λόγος* habeat cum mundo. Forma figuraque est, ad quam deus aedificavit mundum. Omnium rerum, quae creatae sunt,

---

1) cf. de ling. conf. M. 405: *Πανταχοῖ δὲ, ὅτι τὰς δυνάμεις αὐτοῦ διὰ γῆς καὶ ὕδατος, ἀέρος τε καὶ οἰρανοῖ τείνας μέρος οὐδὲν ἤρεμον ἀπολέλοιπε τοῦ κόσμου.*

2) cf. de vict. off. II, 261: *οὐ γὰρ ἦν θέμις ἀπείρου καὶ πεφυρμένης ὕλης ψαύειν τὸν ἴδμονα καὶ μακάριον, ἀλλὰ ταῖς ἀσωμάτοις δυνάμεσιν . . . . . κατεχρήσατο πρὸς τὸ γένος ἕκαστον τὴν ἁρμόττουσαν λαβεῖν μορφήν.*

archetypum est. In libro de opificio mundi Philo dicit, deum sex diebus fecisse mundum non ea de causa, quod ipsi iis opus esset, sed tantum propter ordinem. Dies quinque ultimi creationem rerum singularum complectuntur. Dies primus vero, quem Moses consilio non „*τὴν πρώτην*“ sed „*μίαν*“ vocat, soli mundo invisibili, *τῷ κόσμῳ νοητῷ,* tributus est. Hic mundus exemplar est mundi visibilis. Cum imago (*μίμημα*) sine exemplari (*παράδειγμα*) pulchro non possit esse pulchra ac visibilia non possint esse perfecta, nisi ad ideam sint formata, deus ante creationem mundi, ut ad exemplar non corporeum formaret mundum visibilem, primum mundum idearum atque hoc in mundo coelum non corporeum et terram invisibilem, ideam aëris et spatii vacui, incorporalem naturam aquae, venti et luminis finxit. Quem deum Philo cum humano comparat architecto, qui antequam urbem aedificat, primum omnia animo bene perpendit atque examinat. Architectus, priusquam opus suum efficit, urbis aedificandae capit consilium. Exemplar quasi in cera expressum in anima secum portat; in urbe ex lapidibus ac ligno aedificanda, materiam ad unamquamque idearum corporibus vacantium formans, semper exemplar spectat. Sic deus, quum mundum, magnam urbem, *τὸν κόσμον αἰσθητόν*, aedificare vellet, primum ejus exemplaria excogitavit (*ἐνενόησε*), ex quibus mundus idearum, ad quem mundus visibilis formaretur, compositus est. Quae ex ideis composita urbs nullum alium habet locum, nisi *λόγον,* sicut urbs ab architecto delineata non extra animam, sed in anima est artificis (*νοῦς τεχνίτου*). Quam ob rem *λόγος* vocatur *ἰδέα ἰδεῶν, καθ' ἣν ὁ θεὸς ἐποίησε* (*ἐτύπωνε*) *τὸν κόσμον.* Cum vero deus ideas et *δυνάμεις*, quae, ut postea videbimus, in *λόγῳ* conquiescunt, ut sigillum in materiam impresserit et *λόγος* et mundus, ut sigillum et effigies, inter se habeant rationem, *λόγος*

etiam sigillum appellatur.[1]) — Qua in doctrina Philo Mosen secutus est. Cum Philo dicit, mundum ad exemplar divinum factum esse, Mose utitur teste, dicens: *Μωϋσέως γάρ ἐστι τὸ δόγμα τοῦτο, οὐκ ἐμόν.*

Atque philosophus *λόγον* non modo formam exemplarque omnium describit rerum, sed etiam vim ei tribuit creantem. In libro Genesis legimus, mundum divino verbo esse factum.[2]) Ex doctrina Stoicorum duo sunt in mundo principia, principium agens et principium patiens (*τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον, τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιαν οὐσίαν, τὴν ὕλην, τὸ δὲ ποιοῖν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον, τὸν θεόν*). Causa, quae materiam format et quocumque vult versat, ratio est et *λόγος*. Materia mutabilis *διὰ τοῦ λόγου* mundus fit vivus. *Λόγος* mundi est creator atque universitatis opifex, rector custosque universi, *λόγος, καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται.* Hic *λόγος* totam permeat et digerit materiam (*διήκειν, διέρχεσθαι, διοικεῖν*), et est *πνεῦμα διὰ πάντων διεληλυθὸς καὶ πᾶν ἐν ἑαυτῷ περιέχον.* — Ex philosophia Anaxagorae Clazomenii mundus *διὰ τοῦ νοῦ*, Democriti Abderitae *διὰ τῆς ἀνάγκης*, Platonis *διὰ τοῦ δημιουργοῦ* factus est. — Similia docuit Philo. *Λόγος* est instrumentum, *ὄργανον, δι' οὗ* deus mundum creavit. In libro de cherub. P. II, 129 legimus: *πρὸς τήν τινος γένεσιν πολλὰ δεῖ συνελθεῖν, τὸ ὑφ' οὗ, τὸ ἐξ οὗ, τὸ δι' οὗ, τὸ δι' ὅ. Καί ἐστι μὲν τὸ ὑφ' οὗ, τὸ αἴτιον· ἐξ οὗ δὲ, ἡ ὕλη· δι' οὗ δὲ ἡ αἰτία . . . . . Εὑρήσεις (τοῦ κόσμου) αἴτιον μὲν τὸν θεὸν, ὑφ' οὗ γέγονεν, ὕλην δὲ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα, ἐξ ὧν συνεκράθη· ὄργανον δὲ λόγον θεοῦ, δι' οὗ κατεσκευάσθη,* et in libro de monarch. II, 225 legimus: *λόγος δέ ἐστιν εἰκὼν θεοῦ, δι' οὗ σύμπας ὁ κόσμος*

---

1) cf. de prof. I, 547: *Ὁ δὲ τοῦ ποιοῦντος λόγος αὐτός ἐστιν ἡ σφραγίς, ᾗ τῶν ὄντων ἕκαστον μεμόρφωται.*

2) cf. Gen. I, 3: *Καὶ εἶπεν ὁ θεός. Γενηθήτω φῶς καὶ ἐγένετο φῶς.*

ἐδημιουργεῖτο. Vis creans et formans *λόγος* esse potest, nam non modo ideas, quas deus in creatione mundi materiae impressit, in se habet actuosas ac vigentes; sed ipse *τομεὺς τῶν συμπάντων* est. Ut mens humana, *τοῦ λόγου θείου* imago, rerum externarum notiones in se receptas dividit ac cogitatione discernit, sic *λόγος*, per quem coelum et terra facta sunt. Jam in creatione mundi corpore carentis *λόγος* omnia divisit. In mundo quoque visibili ex materia primum duas fecit partes, levem et gravem. Levem divisit in aëra et ignem, gravem in aquam et terram, in quibus elementa visibilia tanquam fundamentum mundi visibilis sunt posita. Deinde partem gravem et levem in alias distribuit partes, levem in partem frigidam et calidam, gravem in partem madidam et siccam. Partem frigidam aëra, calidam ignem, madidam aquam, siccam terram nominavit. Quae omnes partes tum alio modo *διὰ τοῦ λόγου* divisae sunt, terra in terram continentem et insulas; aqua in mare et fluvios, aër in aestatem et hiemem, ignis in ignem utilem et inutilem. Tali modo totus mundus formatus est. Etiam animus in duas *διὰ τοῦ λόγου* dividitur partes, in partem ratione praeditam et rationis expertem, sic sermo in veritatem et mendacium, sic notio in eam, quae aliquid cogitatione informat aut non informat — *εἰς καταληπτικὴν φαντασίαν καὶ ἀκατάληπτον.* — Hisce ex omnibus contrariis totus constat mundus. *Ἐξ ἐναντιοτήτων ἅπας ὁ κόσμος συνέστηκε.*

Omnia in mundo *διὰ τοῦ λόγου* dividi, Philo ex loco Gen. XV, 9 demonstrare vult, ubi legimus: *Λαβέ μοι δάμαλιν τριετίζουσαν καὶ αἶγα τριετίζουσαν καὶ κριὸν τριετίζοντα καὶ τρυγόνα καὶ περιστεράν. Ἔλαβε δὲ αὐτῷ παντα ταῦτα, καὶ διεῖλεν αὐτὰ μέσα.* Quum in versione Alexandrina in verbis: *διεῖλεν αὐτὰ μέσα* subjectum desit, loco hujus subjecti nihil aliud supplendum esse putat Philo, nisi *λόγον.* Omnem divisionem maxima diligentia ac cura

fieri, jam verbum „*μέσα*“ indicat. Qua in doctrina Philo Heraclitum, quem laudavit magnum et multum cantatum, auctorem habuit. Quod Heraclitus Ephesius, qui primus notionem *λόγου* in philosophiam introduxit et docuit, ex igne, natura primitiva, omnes res exiise bello, — quod Heraclitus bellum contrariorum, id Philo divisionem nominavit et qui *λόγος* apud Heraclitum *πατὴρ τοῦ πολέμου*, is apud Philonem vocatur *τομεὺς τῶν πάντων.*

Ne mundus in sua dissolvatur elementa neve formas figurasque amittat, partes ejus in se cohaereant necesse est. Cum apud Stoicos *λόγος* rector custosque est universi et ipse per totam permeat et pertinet materiam, cum apud Platonem anima mundi et novissimis temporibus apud Schellingium spiritus, qui re vera deus ipse est, totam naturam animat, apud Philonem *λόγος* est vis, qua mundi partes cohaerent. *Λόγος* impedit, quominus mundus dilabatur. In vicissitudine temporum, in motu corporum coelestium omnis ordo *διὰ τοῦ λόγου* servatur; sine eo terra aqua dissolveretur et ignis aëre exstingueretur. Ut anima hominis est vinculum, quo in omnibus corporis partibus servatur concentus, sic in mundo *λόγος* est *ὁ δεσμός*, est vinculum, quo omnia conjunguntur[1]). Vestis Veteris Testamenti pontificis virium spiritualium et moralium — *νοητῶν καὶ αἰσθητῶν* — indicat conjunctionem, quae *διὰ τοῦ λόγου* efficitur. *Λόγος* ut vestis totum complectitur mundum. *Ἐνδύεται ὁ πρεσβύτατος τοῦ ὄντος λόγος ὡς ἐσθῆτα τὸν κόσμον· γῆν γὰρ καὶ ὕδωρ καὶ ἀέρα καὶ πῦρ καὶ τὰ ἐκ τούτων ἐπαμπίσχεται.*[2]) — Sed etiam omnium rerum firmamentum describitur *λόγος*, ferrumen

---

1) cf. de prof. P. IV, 372: *ὁ τοῦ ὄντος λόγος δεσμὸς ὢν τῶν ἁπάντων . . . καὶ συνέχετο τὰ μέρη πάντα καὶ σφίγγει καὶ κωλύει αὐτὰ διαλύεσθαι καὶ διαρτᾶσθαι.*

2) cf. de prof. P. IV, 272.

omnia hiantia conglutinans, et vocalis, qua consonantes conjunguntur.[1]) Accedit, quod rector est et dispensator universorum, gubernator navis mundi, dei in mundo *ὕπαρχος* et administrator, qui terram, aquam, ignem, aëra, omnia, quae in his plantata atque viva sunt, fulcit, continet, ordinat.[2])

Atque non tantum extrinsecus *λόγος* mundum complectitur eumque servat, sed etiam omnes penetrat atque implet res, ut nihil sine eo cogitari possit.[3]) „Dei verbum nihil omnino in natura relinquit vacuum (cf. Quaest. in Exod. II, 515)." In invisibilia omnium rerum ingressus est foramina, ut summa et robur mundi sit visibilis. Intrinsecus omnes species, genera atque ordines renovat et innovat. Efficit, ut omnis natura fructus ferat atque omnis naturae finis cum primordiis primordiaque cum fine conjungantur, idcirco *λόγος* vocatur *λόγος σπερματικός*.

Philo *λόγον* esse ubique demonstraturus eum cum auro comparat. Aurum in tenuissimas extendi potest bracteolas, tamen non perscinditur. Talis *λόγος* est. Ubique sese extendit atque in minima parte totam suam habet vim; ut semen coriandri in innumerabiles distribui potest particulas, attamen singulae germinandi vim non perdunt, sic *λόγος* in minimis suis particulis tota vi actuosus esse potest.

---

1) cf. qui rer. div. h. s. I, 499: *χαῦνα γὰρ τά τε ἄλλα ἐξ ἑαυτῶν, εἰ δέ που καὶ πυκνωθὲν εἴη, λόγῳ σφίγεται θείῳ κόλλα γάρ ἐστι καὶ δεσμὸς οὗτος. ὁ δ'εἴρας καὶ συνυφήνας ἕκαστα, πλήρης αὐτὸς ἑαυτοῦ κυρίως ἐστίν.*

2) cf. de somn. M. I, 655: *τὸ δ'ἐπίγραμμα ἐμήνυεν, ὅτι μόνος ἕστηκα ἐγὼ, καὶ τὴν πάντων φύσιν ἱδρυσάμην, τὴν ἀταξίαν καὶ ἀκοσμίαν εἰς τάξιν καὶ κόσμον ἀγαγὼν, καὶ τὸ πᾶν ὑπερείσας, ἵνα στηριχθῇ βεβαίως τῷ κραταιῷ καὶ ὑπάρχῳ μου λόγῳ.*

3) cf. de somn. I, 691: *τὸν θεῖον λόγον . . . . . μηδὲν ἔρημον καὶ κενὸν ἑαυτοῦ μέρος ἔχοντα, μᾶλλον δὲ . . . . . ὅλον δι' ὅλων ἀναχεόμενον.*

Λόγος quum mundi vinculum, tum totius mundi est lex. A Philone non modo *δεσμὸς τῶν ὄντων*, sed etiam *νόμος* vocatur. Mundus omnium corporum corpus est gravissimum: qua de causa non vacuo quodam fertur spatio, sed lege aeterna nititur.[1]) Qua cum re concordat, quod Philo de *λόγῳ* dicit: *ἐπεὶ πᾶσα πόλις ἔννομος ἔχει πολιτείαν, ἀναγκαίως ξυνέβαινε τῷ κοσμοπολίτῃ χρῆσθαι ᾗ καὶ σύμπας ὁ κόσμος, αὕτη δέ ἐστιν ὁ τῆς φύσεως ὀρθὸς λόγος, ὃς κυριωτέρᾳ κλήσει προσονομάζεται δεσμός, νόμος θεῖος ὤν, καθ' ὃν τὰ προσήκοντα καὶ ἐπιβάλλοντα ἑκάστοις ἀπενεμήθη.*[2]) Hunc *λόγον*, qui vocatur *τῆς φύσεως ὀρθὸς λόγος*, hanc naturae vim, quae totum mundum implet, omnia conjungit et ordinat, sapientes gubernationem mundi vel providentiam, stulti casum vel fatum vocant.

Sed qualis *λόγῳ* cum homine sit necessitudo?

Ut omnium rerum, quae creatae sunt, *λόγος* exemplar est, sic hominis. In scriptis philosophicis de homine coelesti, de *οὐρανίῳ ἀνθρώπῳ*, legimus. Gfroererius[3]) et Kefersteinius[4]) putant, hunc *οὐράνιον ἄνθρωπον* esse *λόγον*, quem Philo vult intelligi. Illorum virorum opinioni Heinzius[5]) repugnat. Id quidem constat, ex Philonis doctrina hominem ad similitudinem *τοῦ λόγου* creatum esse, quare *ἀπεικόνισμα* vel *μίμημα τοῦ λόγου* vocatur. Haec similitudo hominis cum *λόγῳ ἐν τῷ νῷ* consistit, nam *τὸν νοῦν* scriptura sacra significat, cum dicit: *καὶ*

---

1) cf. de plant. N. III, 90 P.: *νόμος δὲ ἀΐδιος θεοῦ τοῦ αἰωνίου τὸ ὀχυρώρατον καὶ βεβαιότατον ἔρεισμα τῶν ὅλων ἐστίν. Οὗτος ἀπὸ τῶν μέσων ἐπὶ τὰ πέρατα καὶ ἀπὸ τῶν ἄκρων ἐπὶ τὰ μέσα ταθεὶς δολιχεύει τὸν τῆς φύσεως δρόμον ἀήττητον, συνάγων τὰ μέρη πάντα καὶ σφίγγων.*

2) De opif. m. P. I, 58.

3) L. s. I, 268.

4) cf. Philos. Lehre von den göttlichen Kräften p. 58.

5) cf. Die Lehre vom Logos in der griechischen Philosophie.

ἐνεφύσησεν εἰς τὸν πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν.[1])

Quum apud Heraclitum anima hominis proluvies est ignei principii, apud Anaxagoram anima pars est *τῆς ψυχῆς τοῦ κόσμου*, quum porro Socrates dixit: *ψυχὴ, ἣ ..... τοῦ θείου μετέχει,*[2]) quum denique Plato et Aristoteles docuerunt, animam hominis partem esse *τοῦ νοῦ* divini, apud Philonem mens humana *τοῦ λόγου* pars est, nam quo modo, Philo inquit, mens humana in caput vel in cor inclusa coelum et terram comprehendere posset, nisi illius mentis divinae esset pars? Haec vero pars a *λόγῳ* non est sejuncta, nam nihil divini separatione disjungitur. *Λόγος* divinus tantum extenditur.[3]) Homo quum pars sit *τοῦ λόγου* deo finitimus est et, quamvis sit mortalis, fit immortalis.[4])

Etiam inter deum et hominem *λόγος* est *τομεὺς*, nam inter deum et hominem — *ἀνὰ μέσον* — est positus et partim hominem a deo separat, partim conjungit. Locum Deut. V, 5 Philo sequens de *λόγῳ* dicit: *καὶ ἐγὼ εἱστήκειν ἀνὰ μέσον κυρίου καὶ ὑμῶν οὔτε ἀγέννητος ὡς ὁ θεὸς ὢν οὔτε γεννητὸς ὡς ὑμεῖς, ἀλλὰ μέσος τῶν ἄκρων ἀμφοτέροις ὁμηρεύων.*[5]) Ex verbis „*ἀνὰ μέσον*" Philo ducit notionem *τοῦ μεσίτου*, qui pro mortalibus a deo petit auxilium, subditis defert praecepta atque curat, ne deus honus opus suum neglegat neve genus mortale deficiat. Talis est *ὁ ἑρμηνεὺς καὶ προφήτης*, qui voluntatem dei interpretatur, et *διαιτητής* vel arbiter, et *ἱκέτης*, socius humani generis, propter quem deus

1) cf. Gen. c. II, 7.

2) Xen. Mem. IV, 3, 14.

3) Quod det. pot. ins. s. I, 209: *τέμνεται γὰρ οὐδὲν τοῖ θείου κατ' ἀπάρτησιν, ἀλλὰ μόνον ἐκτείνεται.*

4) De spec. leg. II, 338: *ἀγχίσπορος ὢν θεοῦ καὶ ἐγγενὴς κατὰ τὴν πρὸς λόγον κοινωνίαν, ὃς αὐτὸν καίτοι θνητὸν ὄντα ἀπαθανατίζει.*

5) Quis rer. div. h. s. I, 502.

est benevolus ac beneficus, nam quidquid *λόγος* ipse habet, copiose hominibus dat, quod non habet, a deo petit, qui precibus ejus commotus, thesauro divino patefacto, dona gratiae suae large distribuit, ut omnia receptacula terrena felicitate ac copia abundent. Hic *μεσίτης* denique pontifex est hominis totiusque mundi. Ex ejus intercessione (*ἡ μέση τάξις*) character sacerdotalis concludendus est. In libro Levitico XVI, 17 legimus: *καὶ πᾶς ἄνθρωπος οὐκ ἔσται ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου εἰςπορευομένου αὐτοῦ ἐξιλάσασθαι ἐν τῷ ἁγίῳ ἕως ἂν ἐξέλθῃ*, quae verba Philo ita interpretatur: *ὅταν εἰσίῃ εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ὁ ἀρχιερεὺς, ἄνθρωπος οὐκ ἔσται*, i. e. quum primum pontifex locum sanctum ingressus est, non est jam homo, sed divinum aliquid. Qui *λόγος*, pontifex maximus, sanctitate sacerdotali hominum peccata tollit et efficit, ut *δύναμις ἵλεως τὴν κολαστικὴν* superet, quo poenas peccatorum mitigat ac prohibet, quominus deus *ἀκοσμίαν ἀντὶ κοσμίαν* capiat. Ut Aaron *ἔστη ἀνὰ μέσον τῶν τεθνηκότων καὶ τῶν ζώντων καὶ ἐκόπασεν ἡ θραῦσις*,[1]) sic *λόγος* Philonis Aaron est, qui inter mortuos et vivos versatur. His in omnibus functionibus, in quibus summa *τοῦ λόγου* posita est dignitas, *λόγου*, de quo dicimus, auctor est Melchisedecus; ut hic *ἱερεὺς* est *θεοῦ τοῦ ὑψίστου*,[2]) sic *λόγος*, cujus *κλῆρος ὁ Ὤν*.

Huic *λόγῳ* homo multa debet. Animae intelligentiam rerum sensibus non subjectarum aperit, linguam ad dicendum et corpus ad sese movendum instruit. Sapientiae est dator custosque virtutis.

Plato docuit, sapientiam anima mundi procreari. Ex Philonis vero sententia *λόγος* fons est, a quo aqua scientiae in fluvios innumerabiles sese effundit. Locum Genesis II, 6: *πηγὴ δὲ ἀνέβαινεν ἐκ τῆς γῆς* Philo inter-

1) Num. XVI, 48.
2) Gen. XIV, 48.

pretatur: *κάτεισι δὲ, ὥσπερ ἀπὸ πηγῆς, τῆς σοφίας, ποταμοῦ τρόπον, ὁ θεῖος λόγος, ἵνα, ἄρδῃ καὶ ποτίζῃ· τὰ ὀλύμπια καὶ οὐράνια φιλαρέτων ψυχῶν βλαστήματα καὶ φυτὰ, ὡσανεὶ παράδεισον*, et dicit, *λόγον* esse flumen, quod totum mundum beatitudine, imprimis homines impleat sapientia, pincernam porro dei, *οἰνοχόον τοῦ θεοῦ* et *συμποσίαρχον*, qui mortalibus nectar, i. e. se ipsum det. Si vera sapientia, *λόγος* omnes scientias complectens omniaque penetrans, in animo est humano, homo scientiam omnium habet rerum et coelum et terram comprehendere atque etiam res futuras divinare et praedicere potest. *Λόγος* quum sapientiam tribuat, *ἥλιος*,[1]) et manna, alimentum animae vocatur.[2]) Similis rori terram *λόγος* tegit, sed ejus vis non ad omnes pertinet animas. Ut manna modo *ἐπὶ πρόσωπον τῆς ἐρήμου* cecidit, sic *τοῦ λόγου* vis tantum in animam solitariam omnibusque corporis libidinibus liberatam venit. Qui *λόγος* porro cum pupilla comparatur. Pupilla, quamquam est parva, omnes orbis terrarum cingulos, mare immensum et aëra vacuum et infinitum terminat. Eodem modo *λόγος*, per quem homines omnem veritatem videre atque omnes tenebras internas pellere possunt, omnia acutissime videt. Tantum *διὰ τοῦ λόγου* homines omnes veritatem videre atque omnes tenebras internas pellere possunt.

Quod ad vitam hominis moralem attinet, *λόγος* in doctrina Philonis maximi est momenti. *Διὰ τοῦ λόγου* homo „*θεῷ ἕπεσθαι*" vel „*ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν*" potest. Cum flumine, quod in quatuor dividitur partes vel in quatuor virtutes, *λόγος* comparatur. In libro de somniis M. II, 690, 691 legimus: *κάτεισι δὲ ὥσπερ ἀπὸ πηγῆς, τῆς σοφίας, ποταμοῦ τρόπον, ὁ θεῖος λόγος, ἵνα*

---

1) cf. Gen. XIX, 23: *ὁ ἥλιος ἐξῆλθεν ἐπὶ τὴν γῆν καὶ Λὼτ εἰσῆλθεν εἰς Σηγώρ.*

2) Leg. alleg. II, 21: *τρέφεται τῶν μὲν τελειοτέρων ἡ ψυχὴ ὅλῳ τῷ λόγῳ.*

ἄρδῃ καὶ ποτίζῃ τὰ ὀλύμπια καὶ οὐράνια φιλαρέτων ψυχῶν βλαστήματα καὶ φυτά, ὡσανεὶ παράδεισον. Ὁ δὲ ἱερὸς οὗτος λόγος· ἀφορίζεται εἰς τέσσαρας ἀρχὰς, λέγω δὲ εἰς τὰς τέσσαρας ἀρετὰς σχίζεται, ὧν ἑκάστη βασιλίς ἐστι. Τὸ γὰρ ἀφορίζεσθαι εἰς ἀρχὰς οὐ τοπικοῖς ὅροις, ἀλλὰ βασιλείᾳ ἔοικεν· ἵν' ὅρους ἐπιδείξας τὰς ἀρετὰς, εὐθὺς ἀποφήνῃ καὶ τὸν χρώμενον αὐταῖς σοφὸν, βασιλέα, κεχειροτονημένον οὐ πρὸς ἀνθρώπων, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ἀψευδοῦς καὶ ἀδεκάστου καὶ μόνης ἐλευθέρας φύσεως. Virtutes, de quibus hoc loco agitur, sine dubio illae sunt virtutes principales Graecorum, quas jam Plato laudat: φρόνησις, σωφροσύνη, ἀνδρεία, δικαιοσύνη. Λόγος, qui divitias suas in hominibus exhibet atque animas irrigat, virtus est generalis, γενικὴ ἀρετή, radix omnium virtutum. Unaquaeque illarum virtutum est regina, id quod Philo ex loco Gen. II, 10, quo de flumine in paradiso verba fiunt, demonstrare vult. Verba hebraica illius versus וְהָיָה לְאַרְבָּעָה רָאשִׁים LXX interpretati sunt: ἐκεῖθεν ἀφορίζεται εἰς τέσσαρας ἀρχάς. Ex judicio philosophi verbum ἡ ἀρχή imperium significat, qua de causa illae virtutes factae sunt reginae et quicunque earum est particeps, rex.

Praecipue in anima hominis λόγος vim suam exercet; qui nisi in animam intravit, homo nescit, quid sit bonum, quid malum. Itaque actiones ejus culpa sunt vacuae; nam priusquam auditur in anima, culpa errorum homini assignari non potest. Sin λόγος animam ut lucis radius ingressus est, homo, quid sit bonum et malum, cognoscit ac quam illiberaliter egerit bene videt. Si tum peccat, culpa procedit omnino non excusanda. Ἕως μὲν γὰρ ὁ θεῖος λόγος εἰς τὴν ψυχὴν ἡμῶν, καθάπερ τινὰ ἑστίαν, οὐκ ἀφῖκται, πάντα αὐτῆς τὰ ἔργα ἀνυπαίτια . . . . . . Ὅταν δὲ εἰσέλθῃ ὁ ἱερεὺς ὄντως, ἔλεγχος εἰς ἡμᾶς, ὥσπερ φωτός τις αὐγὴ καθαρωτάτη, τηνικαῦτα γνωρίζομεν τὰ ἐναποκειμένα ἡμῖν οὐκ εὐαγῆ τῇ ψυχῇ

βουλεύματα καὶ τὰς ἐπιλήπτους καὶ ὑπαιτίους πράξεις, αἷς ἀγνοίᾳ τῶν συμφερόντων ἐνεχειροῦμεν. Ταῦτ' οὖν ἅπαντα ὁ ἱερωμένος ἔλεγχος μιάνας, „ἀποσκευασθῆναι καὶ ἀποσυληθῆναι“ κελεύει, ὅπως αὐτὴν „καθαρὰν ἴδῃ“ τὴν τῆς ψυχῆς „οἰκίαν“, καί, ἐάν τινες ἐν αὐτῇ νόσοι γεγόνασιν, ἰάσηται.[1]) Munus conscientiae *λόγος* habet. *Ἔλεγχος* est in anima hominis atque angelus, qui hominem ducit omniaque removet impedimenta, ne in via periculosa homo labatur neve peccet. Ad vitam corrigendam mandata ac praecepta dat. A deo ipso mittitur, ut homines tueatur, puniat atque sanet.[2]) Qua de causa mirum videri non potest, quod Philo *λόγον* describit ducem, cui sese homines permittant necesse est, cujus cura ut navigium gubernante nauta vita hominis labitur, vel *ταξίαρχον*, praefectum militum, cujus in ordinibus homo nihil inepti committere potest, nam ubiprimum in anima hominis inchoavit munus, omnes vanae et falsae opiniones expelluntur. — Fundamenta hujus doctrinae in libris Pentateuchi inveniuntur. In libro Exodi agitur de angelo dei, de מַלְאַךְ Jehovae, quem deus mittere et per quem omnes hostes ex terra lacte et melle abundante expellere voluit, cujus angeli erat, populo Judaico ex Aegypto exeunti praeire, nam deus ipse in medio populi cervicis durae ingredi non poterat.[3]) Ex libro Exodi XXXIII, 14 Moses a deo petit,

---

1) Quod d. s. im. M. I, 299.

2) Quod d. s. im. M. I, 299: *ὅταν ἐπίσταντος ἐλέγχου .... λόγος δέ ἐστι θεῖος ἄγγελος ποδηγετῶν καὶ τὰ ἐν ποσὶν ἀναστέλλων, ἵνα ἄπταστοι διὰ λεωφόρου βαίνωμεν τῆς ὁδοῦ .... τὰς ἀκρίτους ἑαυτῶν γνώμας πρὸ τῶν ὑφηγήσεων τάττωμεν τῶν ἐκείνου ἃς ἐπὶ νουθεσίᾳ καὶ σωφρονισμῷ καὶ τῇ τοῦ παντὸς ἐπανορθώσει βίου, συνεχῶς εἴωθε ποεῖσθαι.*

3) Exod. XXXIII, 2, 3: *καὶ συναποστελῶ τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου .... καὶ εἰστάξω σε εἰς γῆν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι.* cf. Exod. XXXII, 34: *ἰδοὺ ὁ ἄγγελός μου προπορεύσεται πρὸ προσώπου σου.*

ut populo suo vias indicet et deus respondet: פָּנַי יֵלֵכוּ i. e. facies mea praecedet, quae verba hebraica LXX vitiose interpretati sunt: „*αὐτὸς προπορεύσομαι.*“

Λόγον, custodem virtutis, patrem quoque et conjugem Philo vocat. *Λόγος* tanquam conjux, ut in bona terra, in hominum anima semen virtutis ponit et tanquam pater bona consilia et praeclara facta gignit. Anima hominis modo similis virginae castae, quam *λόγος* protegit, modo feminae connubio junctae, quae una cum *λόγῳ* virtute ornato vivit, qui eam optimis cogitationibus reddit fecundam, modo similis est viduae, quam *λόγος* neque pater neque conjux possidet, ut illa sine eo vitam degat flagitiosam. Potissimum in hominis vita morali *λόγος* est *σπερματικὸς καὶ γεννητικὸς τῶν καλῶν.*[1])

Quum virtus hominis actio sit secundum quandam normam ac legem in persuasionem receptam, Philo *λόγον* judicat *νόμον*. Verba ad hoc pertinentia saepe mutantur. Hic *νόμος* modo *θεῖος λόγος* modo *ὀρθὸς λόγος* modo *τῆς φύσεως ὀρθὸς λόγος* modo *εὐάρμοστος καὶ πάμμουσος συμφωνία ἀρετῶν* vocatur.[2]) Hunc *λόγον* cum illo, quod Kantius vocat: „kategorischer Imperativ,“ vel cum conscientia, cum veritatis amore, cum ipso sensu officii, de quo Fichtius locutus est, comparemus. Hac in doctrina Philo Aristotelem et Stoicos habet duces. Jam in scriptis Aristotelis, in ejus philosophia morali verbum *λόγος ὀρθός* invenitur. Ab Aristotele virtus *ἕξις κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον* vel *μετὰ τοῦ ὀρθοῦ λόγου* describitur. *Λόγος* vero Aristotelis non est lex quaedam divina in persuasionem recepta, sed hominis est *φρόνησις*, vis cogitandi, quae deliberando actiones humanas praescribit, vel ratio utilis, quae rectas ostendit vias, ad quas humanae virtutes referendae sunt. Ex

1) De spec. leg. II, 275; de somn. I, 651; Leg. alleg. III, I, 117.
2) De vita Abr. M. II, 88; de gig. I, 265; de conf. ling. I, 441.

doctrina Stoicorum *λόγος ὀρθός* illa est ratio summa naturae humanae insita, quae jubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria.[1])

Jam supra vidimus, *λόγον* a deo mitti ad hominem tuendum, puniendum, sanandum. Sanari vero et purificari animae hominum in mundi strepitu non possunt. Deus et *λόγος* solitudinem amant.[2]) Idcirco homines, ne in ipsis libidines oriantur neve dominentur, solitudinem quaerere oportet. In animam mortuam *λόγος* intrare non potest. Ei modo sese tribuit vel offert, qui a vitae strepitu remotus tantum *λόγῳ* vivit ipsique domicilium vita ascetica parat.[3])

Stoicos denique de *λόγῳ ἐνδιαθέτῳ* et *προφορικῷ* docuisse satis constat. Ex Stoicorum doctrina *λόγος ἐνδιάθετος* pars est rationis generalis, quae in homine inest. Qui ex sententia Zenonis vult *ὁμολογουμένως ζῆν, τὸν λόγον ἐνδιάθετον*, i. e. rationem homini insitam sequi debet. Si haec ratio verbis exprimitur, *λόγος ἐνδιάθετος* fit *λόγος προφορικός*.[4]) Philonem illud discrimen inter *λόγον ἐνδιάθετον* et *λόγον προφορικόν* a Stoicis sumpsisse certum est. Ex Philonis doctrina in homine duplex est *λόγος, λόγος ἐνδιάθετος* et *προφορικός*, ille ratio homini insita, hic verbum dictum, ille tanquam fons, hic tanquam ex illo emanans flumen.[5])

---

1) Cic. de leg. I, 6, 13; Lactant. inst. VI, 8.

2) Quis rer. div. haer. s. I, 490: *φιλέρημος μὲν γὰρ ἡ θεία σοφία διὰ τὸν μόνον θεὸν οἷ κτῆμά ἐστι, τὴν μόνωσιν ἀγαπῶσα.* Ibid. 506: *ὁ γὰρ θεοῦ λόγος φιλέρημος καὶ μονωτικὸς ἐν ὄχλῳ τῶν γενομένων καὶ φθαρησομένων οὐχὶ φυρόμενος ἀλλ' ἄνω φοιτᾶν εἰσθισμένος ἀεὶ καὶ ἑνὶ ἐπαδὸς εἶναι μεμελετηκώς.*

3) de vita contempl.; de decal. II, 189.

4) Cic. de nat. deor. II et III; de divinatione et de fato; de finibus III et 4; de offic.

5) De vit. Mos. I, 154. *ἐν ἀνθρώπῳ δὲ ὁ μὲν (λόγος) ἐστὶν ἐνδιάθετος, ὁ δὲ προφορικὸς, καὶ ὁ μὲν οἷά τις πηγὴ, ὁ δὲ γεγωνὼς ἀπ' ἐκείνου ῥέων.* Quod det. pot. ins. s. M. 209: *τῆς οὖν ζωτικῆς*

Similiter Philo de *λόγῳ θείῳ* in rerum universitate cogitavit. Quamquam vocibus „*λόγος ἐνδιάθετος*“ et „*λόγος προφορικός*“ non usus est, tamen si Philo in libro de opificio mundi dicit: *οὐ προστάττοντα μόνον ἀλλὰ καὶ διανούμενον*, hoc contrario nihil aliud significat, nisi id, quod verbis „*λόγος ἐνδιάθετος*“ et „*λόγος προφορικός*“ mente comprehenditur. Verbo „*προστάττοντα*“ *λόγος προφορικός*, verbo „*διανούμενον*“ *λόγος ἐνδιάθετος* intelligendus est. *Λόγος*, qui humano *λόγῳ ἐνδιαθέτῳ* respondet, in ideis corpore carentibus habitat; alter vero *λόγος* humano *λόγῳ προφορικῷ* respondens in rebus invenitur visibilibus, quae illarum idearum sunt imagines.[1])

II.

Pauca de viribus mediis (*δυνάμεις*) atque quali ratione *λόγος* cum his viribus sit conjunctus in medium proferre conamur.

Hujus doctrinae fundamenta jam in libris Maccabaeorum, qui libri propter ea, quae continent, in numero operum Alexandrinorum habentur, jacta erant. Quibus in libris jam satis exculta erat de viribus divinis doctrina, quae deum ipsum in mundum manum non inserere, sed eum alio modo in mundo esse efficacem indicat. Porro maximam adhibebat vim in Philonem philosophia Platonis. Ex hujus philosophi doctrina ideae species (*παραδείγματα, ἀρχέτυποι*) et res imagines (*εἴδωλα, ὁμοιώ-*

δυνάμεως, ἧς τὸ οὐσιῶδες αἷμα, μοῖρά τις ἐξαίτετον ἔσχε μέρος φωνὴν καὶ λόγον, οὐ τὸ διὰ στόματος καὶ γλώττης ῥέων νᾶμα, αλλὰ τὴν πηγὴν, ἀφ' ἧς αἱ τοῦ προφορικοῦ δεξάμεναι πληροῦσθαι πεφύκασιν.

1) De vit. Mos. M. II, 157: *Δίττος γὰρ ὁ λόγος ἔν τε τῷ παντὶ καὶ ἐν ἀνθρώπου φύσει. Κατὰ μὲν τὶ πᾶν, ὅ τε περὶ τῶν ἀσωμάτων καὶ παραδειγματικῶν ἰδεῶν, ἐξ ὧν ὁ νοητὸς ἐπάγη κόσμος καὶ ὁ περὶ τῶν ὁρατῶν, ἃ δὴ μιμήματα καὶ ἀπεικονίσματα τῶν ἰδεῶν ἐκείνων ἐστὶν, ἐξ ὧν ὁ αἰσθητὸς οὗτος ἀπετελεῖτο.* cf. Grossmann: Quaestiones Philoneae II, 10.

ματα) sunt illarum. Ideis materiae, *τῇ ὕλῃ*, formam non habenti impressis, *δημιουργός* mundum visibilem (*κόσμον αἰσθητόν*) formavit. His ideis Platonicis (*κόσμος νοητός*), quae innumerabiles sunt, series est quaedam, in qua minores ideae semper majorum sunt fundamenta. Cum mundus est mutabilis, illae sunt immutabiles et constantes. Maxima idea, quae omnes ideas continet et in omnibus versatur, idea boni est, quae est causa omnium rerum atque quasi sol in regno idearum habetur. Inter hanc ideam maximam et numen maximum nullum esse discrimen Plato putasse videtur.

Jam supra diximus, deum ex Philonis doctrina ante creationem mundi visibilis *τὸν κόσμον νοητόν* finxisse atque in mundo creando visibili viribus mediis, ex quibus ille *κόσμος νοητός* constat, usum esse. *Αἱ ἀσώματοι δυνάμεις,* quae a deo ipso discernuntur, deum, ut spiritus servientes, ut comitatus principis, ejus praecepta exspectantes circumdant. Inter deum mundumque sunt arbitri, quod Philo ex loco Genesis XXVIII, 12 concludit, ubi de somnio Jacobi et de angelis de scala aëria descendentibus eamque ascendentibus agitur.[1]) Dei sunt adjutores *συνεργοί;* deus eas adit, si quid facere vult.[2]) Serviunt maximo duci, qui omnia optime disposuit. Quamquam deus pater omnium satis sibi est atque omni auxilio carere potest, tamen viribus mediis in his actionibus, quae deo ipsi non conveniunt, usus est. Modo decentiae causa nonnullas actiones viribus sibi subditis deus concessit. Sed, ne quid in mundo fiat inepti, iis libertatem plenam non dedit.[3]) Ut reges ipsi dona gratiae dare solent, sic in dei natura est positum, gratias beneficiaque maxima tribuere, velut dona,

---

1) De somn. I, 22.
2) De conf. ling. 33.
3) De conf. ling. M. 431.

quibus anima nutritur. Minora vero beneficia viribus mediis tribuuntur, velut ea, quae ad hominem a malo servandum pertinent. Tali modo deus sanitatem ipse dat, sanatio autem morbi viribus efficitur mediis. Deus est *ὁ τροφεύς*, minister ejus *λόγος* est *ἰατρὸς κακῶν.*[1]) Etiam in legibus dandis deus modo ea, quae agenda sint quaeque non agenda, praescribit, sed ipse poenas non addit. Ut in fragmentis Aristobuli hos legimus versus:

Αὐτὸς δ' ἐξ ἀγαθῶν θνητοῖς κακὸν οὐκ ἐπιτέλλει
'Ανθρώποις· αὐτῷ δὲ χάρις καὶ μῖσος ὀπηδεῖ
Καὶ πολεμὸς καὶ λοιμὸς ἰδ' ἄλγεα δακρυόεντα,

ex quibus apparet, deum propter bonitatem in ipsius natura positam hominibus nihil mali dare posse, sic apud Philonem mulctarum dictio *τῶν ὑπηρετῶν καὶ ὑπάρχων,* imprimis *τῆς δίκης,* quae malum odit, est officium, nam deus ipse est *πρύτανις τῆς εἰρήνης* et ejus servi sunt *ἡγεμόνες πολέμων.*[2]) A deo ipso homines puniri non posse, Philo ex locis Gen. XVIII, 2: *καὶ ἰδοὺ τρεῖς ἄνδρες εἱστήκεισαν ἐπάνω αὐτοῦ* et Gen. XIX, 1: *ἦλθον δὲ οἱ δύο ἄγγελοι εἰς Σόδομα* demonstrat et dicit: *ἐκεῖνο βουλόμενος παραστῆναι, ὅτι τῶν τριῶν ὡς ἀνδρῶν ἐπιφανέντων τῷ σοφῷ, δύο μόνους εἰς τὴν ἀφανισθεῖσαν χώραν τὰ λόγιά φησιν ἐλθεῖν ἐπ' ὀλέθρῳ τῶν οἰκητόρων, τοῦ τρίτου μὴ δικαιώσαντος ἥκειν.*[3]) Ex tribus viris, qui quondam apparuerunt Abrahamo, duo modo Sodomam pervenerunt, nam tertio, qui erat *ὁ Ὤν,* non conveniebat. Angelus, qui Sodomam diruit, *λόγος* est.

Tales *δυνάμεις* non modo propter bonitatem excelsitatemque dei, sed etiam propter hominem ejusque infirmitatem exoriri necesse erat. Hominem justum ad-

---

1) De prof. I, 556.
2) De decal. II, 208.
3) De Abr. § 28.

juvant eumque in periculis servant, ut Jacobus ab omni malo vindicatus est,[1]) vel ut Noa invenit gratiam coram deo[2]) i. e. apud *δύναμιν* benigne facientem. Hae *δυνάμεις* porro filiis dei praecepta patris nuntiant ejusque voluntatem significant, filiorum desideria indicant hominesque a peccatis servant,[3]) quam ob rem ascendentes ac descendentes describuntur, non ita, ut deo, qui omnia scit et omnia potest, iis ad res indicandas opus sit; sed hominibus mortalibus, qui coram excelsitate dei perhorrescunt, utile est, tales habere arbitros intercessoresque.

Leibnitzius philosophus monades esse innumerabiles et diversos inter se habere gradus docuit; similiter Philo de *δυνάμεσι* judicavit. *Δυνάμεις* innumerabiles sunt. *Εἷς ὢν ὁ θεὸς ἀμυθήτους περὶ αὐτὸν ἔχει δυνάμεις.*[4]) Inter has benigne facientes et punientes discernuntur. Maxime insignis est *δύναμις* creans, *δύναμις ποιητική*. Qua deus totum mundum creavit.[5]) Quum principium mundi dei sit bonitas, haec vis creans et formans persaepe a Philone vocatur *θεός, ἀγαθότης* vel *χαρισεική* vel *εὐεργετική*. Cui *δυνάμει* par est *δύναμις* regnans, quae *βασιλική, κολαστική, κύριος, ἐξουσία* vel *ἡγεμονία* vocatur.[6]) Praeter has *δυνάμεις* Philo etiam de aliis scripsit. In libro de profugis P. 464 legimus: *Μήποτ' οὖν ἡ μὲν πρεσβυτάτη καὶ ὀχυρωτάτη καὶ ἀρίστη μητρόπολις, οὐκ αὐτὸ μόνον πόλις, ὁ θεῖός ἐστι λόγος, ἐφ' ὃν πρῶτον καταφεύγειν ὠφελιμώτατον. Αἱ δ' ἄλλαι πέντε, ὡς ἂν ἀποικίαι δυνάμεις εἰσὶ τοῦ λέγοντος, ὧν*

---

1) Gen. XLVIII, 16: *ὁ ἄγγελος ὁ ῥυόμενός με ἐκ πάντων τῶν κακῶν.*

2) Gen. VI, 8: *Νῶε δὲ εὗρε χάριν ἐναντίον κυρίου τοῦ θεοῦ.*

3) Leg. alleg. III, 62.

4) De conf. ling. P. 345.

5) De Abrah. II, 19: *ταύτῃ ἔθηκέ τε καὶ διεκόσμησε τὸ πᾶν.*

6) De migr. Abrah. I, 464; de Cherub. I, 144; de somniis I, 645; de Abrah. II, 18; de Cherub. I, 144.

ἄρχει ἡ ποιητική, καθ' ἣν ὁ ποιῶν λόγῳ τὸν κόσμον ἐδημιούργησε· δευτέρα δὲ ἡ βασιλική, καθ' ἣν ὁ πεποιηκὼς ἄρχει τοῦ γενομένου· τρίτη δὲ ἡ ὕλεως, δι' ἧς ὁ τεχνίτης οἰκτείρει καὶ ἐλεεῖ τὸ ἴδιον ἔργον· τετάρτη δὲ νομοθετικὴ μοῖρα, δι' ἧς ἃ μὴ χρὴ γίνεσθαι ἀπαγορεύει. Hoc loco de municipiis agitur; in quibus ex jure Mosaico homicidis non voluntariis erat asylum praesidiumque. Illa municipia ex sententia philosophi nihil aliud significant, nisi sex *δυνάμεις*. Prima *λόγος* est. Praeter illas, quas jam enumeravimus, *δύναμιν ποιητικήν* et *βασιλικὴν*, aliae sunt: *δύναμις προνοητικὴ, νομοθετική* et *ἴλεως*. Ultima illarum sex *δυνάμεων* hoc loco non est nominata. Haud scio an sit *δύναμις προστάττουσα ἃ δεῖ.*

Has *δυνάμεις*, quamquam, quae conditio inter deum et mundum intercedat, non plane indicant, ex sententia Philonis esse vires vivas, Gfroererius[1]) ex locis de ling. conf. P. 374: *τὰς δυνάμεις ἑαυτοῦ διὰ γῆς καὶ ὕδατος, ἀέρος τε καὶ οὐρανοῦ τείνας, μέρος οὐδὲν ἔρημον ἀπολέλοιπε τοῦ κόσμου, πάντα δὲ συναγαγὼν διὰ πάντων ἀοράτοις ἔσφιγξε δεσμοῖς, ἵνα μήποτε λυθείη,* — et de Migratione Abrahami P. III, 494, ubi Philo dicit, *δυνάμεις* esse vincula, quae mundum circumdent et contineant, tum ex illo loco de vita Abrahami, quo de tribus personis, quae Abrahamo apparuerunt, et de interitu Sodomae et Gomorrae agitur, probare vult.

Commemorandum quoque nobis est, Philonem saepenumero agere de *λόγοις*, de ideis et de angelis. Videamus, quid Philo de his senserit.

Sapiens, qui in mundo deum intelligere ac comprehendere vult, *λόγοις* occurrit.[2]) Optima pulcherrimaque

---

1) L. c. I, 151 f.

2) De posterit. Caini M. 229: *Τὰ γὰρ γεγονότα πάντα ὑποζεύξας ἑαυτῷ περιέχεται μὲν ὑπ' οὐδενὸς, ἐπιβέβηκε δὲ πᾶσιν. Ἐπιβεβηκὼς δὲ καὶ ἔξω τοῦ δημιουργηθέντος ὢν, οὐδὲν ἧττον πεπλήρωκε τὸν κόσμον ἑαυτοῦ· διὰ γὰρ δυνάμεως ἄχρι περάτων τείνας, ἕκαστον ἑκάστῳ κατὰ τοὺς ἁρμονίας λόγους συνύφηκεν.*

dona a deo ipso dantur, exigua per *λόγους*.[1]) Hi sunt genus ac species, quae ante singulas existunt res, quibus omnes res singulae subjectae sunt. Re singulari exstincta, illae species non tanguntur, sed re vera manent. Plurimum in hominem *λόγοι* valent. Fons scientiae ejus sunt; sapientiam atque virtutem illam sequentem pariunt. In anima hominis, ut ipsum a materia solvant, ascendunt ac descendunt.[2])

Deus porro quum materiam ipse tangere nollet, ideis corporibus vacantibus in mundo creando usus est. Hae ideae vires sunt, quae in iis efficiunt qualitatem, quibus non est qualitas, quae iis dant formam, quibus non est forma, atque infinita sepiunt terminis.[3]) Deinde non modo species sunt, sed etiam notiones, non modo genera, sed etiam *ἐννοήματα*. Ut genera speciesque sunt eorum, quae sensibus non sunt subjecta, sic omnium, quae sub sensus non cadunt. Omnes artes, omnes litterae ac virtutes ex illis pendent. Tantum qui harum idearum factus est particeps, artifex, homo litteris eruditus ac virtute ornatus esse potest.[4])

Inter *δυνάμεις* et *λόγους* etiam angeli, de quibus

---

1) Leg. alleg. III, P. 93: *ἀρέσκει γὰρ αὐτῷ τὰ μὲν προηγούμενα ἀγαθὰ, αὐτοπροσώπως αὐτὸν τὸν ὄντα διδόναι, τὰ δεύτερα δὲ τοὺς ἀγγέλους καὶ λόγους αὐτοῦ. Δευτέρα δέ ἐστιν ὅσα περιέχει κακῶν ἀπαλλαγήν.*

2) Keferstein, Philos Lehre von den göttlichen Mittelwesen, 131.

3) De monarch. M. I, 219: *ὀνομάζουσι δὲ αὐτὰς οὐκ ἀπὸ σκοποῦ τινος τῶν παρ' ὑμῖν ἰδέας, ἐπειδὴ ἕκαστον τῶν ὄντων ἰδιοποιοῦσι, τὰ ἄτακτα τάττουσαι καὶ τὰ ἄπειρα καὶ ἀόριστα καὶ ἀσχημάτιστα περατοῦσαι καὶ περιορίζουσαι καὶ σχηματίζουσαι καὶ συνόλως τὸ χεῖρον εἰς ἄμεινον μεθαρμοζόμεναι.*

4) De mut. nom. M. I, 600: *αὐτὸ δὲ τοῦτο τὸ μουσικὸν καὶ γραμματικὸν καὶ γεωμετρικὸν, ἔτι δὲ δίκαιον καὶ σώφρον, φρονιμόν τε καὶ ἀνδρεῖον, ἓν αὐτὸ μόνον τὸ ἀνωτάτω, μηδὲν ἰδέας ἀρχετύπου διαφέρον, ἀφ' οἷ τὰ πολλὰ καὶ ἀμύθητα ἐκεῖνα διεπλάσθη.*

saepe in scriptura sacra legimus, a Philone numerantur. His angelis, animis incorporeis atque in aëre habitantibus, deus negotia, quae ipse suscipere non poterat, commisit. In duas distribuuntur classes. Alteri in corpora mortalia invadunt sursum enitentes atque deorsum elabentes et in infimo aëre habitant; alteri, qui proprii sunt angeli, puri ac virtute praediti, qui oculi et aures numinis maximi judicantur, qui intercessores ac nuntii dei nominantur, quos philosophi vocant *δαίμονας*, scriptura vero sacra *ἀγγέλους*, aethera tenent. Hi angeli, *λειτουργοί* vel *δυνάμεις ὑπηρετούμεναί*, Abrahamo specie humana induti apparuerunt Mosemque sepeliverunt. Sitim in aeternum expellunt et, ut Gfroererius[1]) putat, vivae sunt vires. In numero angelorum diabolus non est habendus.

Inquirere nobis jam liceat, quam cum his omnibus viribus mediis, de quibus diximus, *λόγος* habeat rationem. Quamquam Philo de hac re multas ac diversas protulit sententias parumque sibi ipse videtur constans esse, attamen constat, *λόγον* ex sententia Philonis primum unam esse *δυνάμεων*, deinde omnium complexum postremoque concedendum est, *λόγον* omnibus *δυνάμεσιν* praestare.

Etiamsi *λόγος* nullo loco *δύναμις* vocatur, tamen unam esse *δυνάμεων* jam ex illo sequitur loco, quo Philo praeter illas praecipuas *δυνάμεις τὴν ἀγαθότητα καὶ ἐξουσίαν*, tertiam *δύναμιν* declarat *λόγον.*[2]) Magis vero valet explicatio loci Num. XXXV, 6, ubi de sex Levi-

---

1) L. c. I, 368.

2) De cherub. M. 144: *Ἔλεγε δέ μοι, κατὰ τὸν ἕνα ὄντως ὄντα θεὸν δύο τὰς ἀνωτάτω εἶναι καὶ πρώτας δυνάμεις, ἀγαθότητα καὶ ἐξουσίαν. Καὶ ἀγαθότητι μὲν τὸ πᾶν γεγεννηκέναι, ἐξουσίᾳ δὲ τοῦ γεννηθέντος ἄρχειν. Τρίτον δὲ συναγαγὸν ἀμφοῖν μέσον εἶναι λόγον· λόγῳ γὰρ καὶ ἄρχοντα καὶ ἀγαθὸν εἶναι τὸν θεόν.*

tarum urbibus agitur. Philo hunc locum, ut jam vidimus, allegorice interpretatur atque illas sex urbes sex *δυνάμεις* judicat, quarum prima *δύναμις λόγος* est.

Novissimis temporibus Leibnitzius deum esse monadem monadum docuit. Ex sententia Philonis *λόγος τῶν λόγων* complexus est et, quia *λόγοι* et *δυνάμεις* idem sunt, *δυνάμεων*. Personas, quae quondam Abrahamo apparuerunt, Philo modo tres vires, modo *λόγον* esse judicat et putat, *λόγον* idem esse quod *δυνάμεις* conjunctas. *Λόγος* complexus omnium *δυνάμεων*, *δύναμις* est *μεγάλη*, *δύναμις κατ' ἐξοχήν*, *ἰδέα ἰδεῶν*, quae omnes ideas in se continet, *βιβλίον*, in quo ideae consignatae sunt, *τόπος τοῦ κόσμου νοητοῦ*, i. e. omnium virium divinarum, *ἐπεὶ τίς ἂν εἴη τῶν δυνάμεων αὐτοῦ τόπος ἕτερος.*[1]) Ut sermo hominis in multa distribuitur verba, sic *λόγος* in multos discedit *λόγους*, qui ab illo continentur. Angeli et vires (*δυνάμεις*) *τὰ μέρη τοῦ λόγου* sunt.[2]) Qua de causa Philo *λόγον* ideam ducit universam, quum dicit: *διατρέφεται γὰρ ἡμᾶς τῷ γενικωτάτῳ αὐτοῦ λόγῳ. Τὸ γὰρ μάννα* (*λόγος*) *ἑρμηνεύεται Τί, τοῦτό ἐστι τὸ γενικώτατον τῶν ὄντων. Καὶ ὁ λόγος δὲ τοῦ θεοῦ ὑπεράνω παντός ἐστι τοῦ κόσμου, καὶ πρεσβύτατος καὶ γενικώτατος τῶν ὅσα γέγονεν.*[3])

Idcirco non est mirum, quod Philo *λόγον δυνάμεσιν*, quin etiam illis praecipuis, quibus in mediis *λόγος* subsistit (*ἀνὰ μέσον τῶν Χερουβίμ*) et quas partim dividit partim conjungit, praefecit majorem excelsioremque. Ex

---

1) De opif. mundi M. 4.

2) Dr. Schulz, in den protest. Monatsblättern für innere Zeitgeschichte 24, p. 214: Ihre (d. i. der *δυνάμεις*-) Zusammenfassung ist das Wort Gottes; wie die Strahlen der Sonne, die Gedanken des Geistes in ihrem Grunde ruhen, aber hervortretend Wirkung üben können, so diese Gottesstrahlen, Gottesgedanken, deren Einheit das Wort Gottes.

3) Leg. alleg. M. III, 21.

ente verbo (*ἑστὼς ἐπάνω*) tanquam ex fonte disruptae scaturiunt ambae virtutes.[1]) In libro Gen. XXVIII, 12, 13 legimus: *καὶ ἰδοὺ κλῖμαξ ἐστηριγμένη ἐν τῇ γῇ, ἧς ἡ κεφαλὴ ἀφικνεῖτο εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ ἀνέβαινον καὶ κατέβαινον ἐπ' αὐτῇ, ὁ δὲ κύριος ἐπεστήρικτο ἐπ' αὐτῆς.* Ex loco de somniis M. I, 644 *ὁ κύριος* inter omnia coelestia numina eminens est *λόγος* vel *ἄγγελος πρεσβύτατος* vel *ἀρχάγγελος πολυώνυμος.* In libro Iehoschua V, 9—14 scriptum est de שַׂר־צְבָא יְהוָה, quem quo tempore Judaei Gilgale castra habebant Iehoschua gladium manu stringentem vidit; porro in libro Danielis de primo e principibus, qui ad Danielem adjuvandum venit,[2]) legimus. His tanquam fundamentis jactis, posterioribus temporibus apud Judaeos Palaestinenses doctrina de angelo omnes angelos ducente excolebatur, quam Philo quasi rem jam satis notam affert, cum *λόγον* vocat *ἀρχάγγελον.*[3]) Illo porro loco, quem de sex municipiis jam attulimus, Philo primum *λόγον* memorat, postea *δυνάμεις.* Quae ita discernuntur, ut, quum *δυνάμεις* sint urbes, *λόγος* non modo harum urbium sit prima, sed etiam vetustissima excellentissimaque (*πρεσβυτάτη καὶ ὀχυρωτάτη καὶ ἀρίστη μητρόπολις*). Aliae *δυνάμεις* quasi coloniae, *ὡς ἂν ἀποικίαι,* habendae sunt. Denique si *λόγος* vocatur auriga, *ἡνίοχος τῶν δυνάμεων,* qui, quum deus in curru imperans sedet, ut auriga equos sc. *δυνάμεις* regit,[4]) si vocatur pater ac dux *δυνάμεων, ὑφηγέτης καὶ πατὴρ* atque etiam *θεὸς* — ex his omnibus luce clarius videre licet, Philonem *λόγῳ* majorem impertiisse dignitatem, quam *δυνάμεσιν.*

---

1) Quaest. in Exod. II, 68.
2) Cf. Dan. X, 13.
3) Cf. Siegfried, Philo von Alexandria, 219 s.
4) De prof. P. 465.

III.

Praeter illas *δυνάμεις* saepenumero in Philonis scriptis de sapientia (*σοφία*) legimus. Vestigia Philonis doctrinae de sapientia jam in libro Jesu Sirachi invenimus. Quo in libro (cap. 24) laudatur sapientia, quae ex ore altissimi provenit et tanquam nebula cooperuit terram, quae in ecclesia altissimi os suum aperit, rotunditatem coeli circumit, in profunditate abyssorum et in fluctu maris et in terra tota atque in omni populo ac gente versatur.

Permagni vero in doctrina Philonis de sapientia erat momenti liber sapientiae, illud scholae Judaicae, quae quondam Alexandriae floruit, magnum monumentum. Ex hoc libro *σοφία* a deo emanat et bonitatem ac potentiam dei significat;[1] inest ei spiritus intelligens, simplex, multiplex, subtilis, mobilis, splendidus, impollutus, perspicuus, perpessionis expers, amans boni, acutus, beneficus, omnipotens, omnia intuens et penetrans omnes spiritus intelligentes puros.[2] In creatione mundi quasi artifex, *πάντων τεχνῖτις*, cum deo erat *σοφία*.[3] Permeat omnia (*διήκει δὲ καὶ χωρεῖ διὰ πάντων*) puritate sua[4] et a fine uno ad alterum pertingit.[5] Semper orbem terrarum implet.[6] *Σοφία* hominem constituit, ut in creaturas a deo factas dominetur;[7] hominem viribus spiritualibus exornavit eumque ad virtutem impellit. E sanctis coelis, a sede gloriae dei venit, ut cum hominibus in labore praesens versetur, ut, quid

1) Cap. 7, 25, 26.
2) Cap. 7, 22.
3) Cap. 7, 21.
4) Cap. 7, 24.
5) Cap. 8, 1.
6) Cap. 1, 7: [illegible] *οἰκουμένην.*
7) Cap. 9.

deo gratum sit, cognoscant.[1]) In capitibus 10—12 et 16—18 populum Judaicum *διὰ σοφίας* in solitudine esse ductum legimus. Quae *σοφία* angelus est, qui illum populum trans mare rubrum traduxit et trans aquas multas transvexit, hostes vero ejus inundatione perdidit.[2]) Etiam de *λόγῳ*, per quem deus omnia fecit, illo in libro agitur. In capite IX, 1 legimus: *Θεὲ πατέρων καὶ κύριε τοῦ ἐλέους σου, ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ σου.* Populum Judaicum *οὔτε βοτάνη οὔτε μάλαγμα ἐθεράπευσεν, ἀλλ' ὁ τοῦ κυρίου λόγος ὁ πάντα ἰώμενος.*[3])

Ex Philonis sententia duae sunt sapientiae, divina et humana. Humana sapientia illius infirma est imago. Divina sapientia solitudinem amat et apud deum habitat.[4]) Ex loco Genesis XV, 9 deus Abrahamo dixit: *Λάβε μοι δάμαλιν τριετίζουσαν καὶ αἶγα τριετίζουσαν καὶ κριὸν τριετίζοντα καὶ τρυγόνα καὶ περιστεράν. Τρυγόνα* Philo divinam, *περιστεράν* humanam habet sapientiam, nam, cum divina sapientia ut *ἡ τρυγών* semper sola sit (*φιλέρημος ἡ θεία σοφία διὰ τὸν μόνον θεόν*) atque solitudinem amet (*μόνωσιν ἀγαποῦσα*), humana ut *περιστερά* gregatim volat, in urbibus se jactat convictuque hominum gaudet.

Sapientia divina, numinis supremi uxor, mater est omnium rerum, arx et domicilium domini supremi,[5]) effectrix mundi[6]) et vis, qua mundus creatus est. *Τὸν κόσμον νοητὸν* in se recipiens eumque in mundo visibili

---

1) Cap. 9, 10.

2) Cap. 10, 18, 19.

3) Cap. 16, 12.

4) Quis rer. d. h. s. M. I, 490.

5) De congressu quaer. erud. gratia M. I, 536: *σοφία δὲ αὐλὴ καὶ βασίλειόν ἐστι τοῦ πανηγεμόνος καὶ μόνου βασιλέως αὐτοκράτορος.*

6) De prof. I, 562: *σοφία, δι' ἧς τὰ ὅλα ἦλθεν εἰς γένεσιν;* 560: *ἔργῳ δὲ ὁ θείᾳ σοφίᾳ δημιουργηθεὶς κόσμος ἅπας;* quod det. pot. ins. s. P. II, 182: *μητέρα δὲ τὴν σοφίας, δι' ἧς ἀπετελέσθη τὸ πᾶν.*

repraesentans omnia in mundo contraria efficit.[1]) Non modo homini, sed etiam mundo antecedit aetate atque virium a deo genitarum prima est. Itaque *εἰκὼν* et *ἀρχὴ ϑεοῦ* appellatur.

Atque homini quidem haec sapientia veritatem virtutemque dat, in animis hominum mentem sanam, intelligentiam bonasque actiones generat.[2]) Manna est, quae quondam patribus a deo in solitudine tribuebatur[3]) et fons, quem Moses in saxo aperuit, ex quo aqua hominibus potum praebens fluxit.[4])

Etiamsi Philo *τὴν σοφίαν* modo majus principium, ex quo *λόγος* tanquam e fonte exiit,[5]) modo *λόγον* sapientiae fontem[6]) modo *σοφίαν τοῦ λόγου* habuit matrem,[7]) tamen quibusdam locis *σοφίαν* et *λόγον* idem esse declarat. Praecipue duo in scriptis Philonis inveniuntur loci, ex quibus hoc evidentissime apparet. Primum locum invenimus in libro leg. alleg. P. 157 et 158, ubi Philo ait: *ποταμὸς δέ φησιν ἐκπορεύεται ἐξ Ἐδὲμ, τοῦ ποτίζειν τὸν παράδεισον. Ποταμὸς ἡ γενική ἐστιν ἀγαϑότης, αὕτη ἐκπορεύεται ἐκ τῆς Ἐδὲμ τοῦ ϑεοῦ σοφίας, ἡ δὲ ἐστιν ὁ τοῦ ϑεοῦ λόγος· κατὰ γὰρ τοῦτον πεποίηται ἡ γενικὴ ἀρετή.* Altero loco[8]) Philo saxum, quod Moses percussit, ut aqua populo Judaico ad bibendum procederet, *σοφίαν* nominavit et dixit: *τὴν πέτραν ταύτην*

1) De prof. P. 575.

2) De prof. M. 553: *λέγομεν οὖν .... σοφίαν ..... σπείροντα καὶ γεννῶντα ἐν ψυχαῖς μάϑησιν, παιδείαν, ἐπιστήμην, φρόνησιν, καλὰς καὶ ἐπαινετὰς πράξεις.*

3) De prof. P. IV, 282.

4) Leg. alleg. P. I, 228: *ἡ ἀκρότομος πέτρα, ἡ σοφία τοῦ ϑεοῦ ἐστιν ...... ἐξ ἧς ποτίζει τὰς φιλοϑέους ψυχάς.*

5) De somn. II, 690 M.: *κάτεισι δὲ ὥσπερ ἀπὸ πηγῆς τῆς σοφίας ποταμοῦ τρόπον ὁ ϑεῖος λόγος.*

6) De prof. M. I, 650: *ϑεῖος λόγος, ὃς σοφίας ἐστὶ πηγή.*

7) De prof. M. I, 563.

8) Quod det. pot. i. s. M. 213.

ἑτέρωθι συνωνυμίᾳ χρώμενος καλεῖ μάννα, τὸν πρεσβύτατον τῶν ὄντων λόγον θεῖον, ὃς ὀνομάζεται τὸ γενικώτατόν τι.

Quid nostris temporibus notione Philonis „*σοφία*" significari putant? Daehnius[1]) *σοφίαν* ducit *τοῦ λόγου* vim dividendi vel facultatem instituendi. Gfroererius[2]) et Heinzius[3]) *λόγον* et *σοφίαν* eandem judicant esse notionem, quibus viris Baurius[4]) repugnat.

Mirum est, quod apud Philonem sapientiae et *λόγῳ* eaedem tribuuntur proprietates atque actiones. Ut enim *σοφία* solitudinem amat, sic *ὁ θεῖος λόγος* est *φιλέρημος καὶ μονωτικὸς ἐν ὄχλῳ τῶν γενομένων*. *Σοφία* arx numinis est supremi, sic *λόγος τόπος* est *τοῦ θεοῦ* et *οἶκος νοητός*; ut *σοφία* sic *λόγος* est *ὁ τομεύς*. *Σοφία* mundum aetate superat mundique est procreatrix, *λόγος πρεσβύτατος* est *ὄργανον*, quo omnia creata sunt. *Σοφία* virtutum scientiarumque hominum principium est, *λόγος* sapientiae est dator custosque virtutis. Denique *σοφία* et *λόγος* manna sunt, qua patres in solitudine nutriebantur, et fons, ex quo illi aquam hauriebant.

IV.

Jam quaeramus, qualem cum deo *λόγος* Philonis habeat conjunctionem. Dei est mens, cogitatio vel ratio, qua dei cogitata finguntur (*ἐννόησις, λογισμός θεοῦ λογιζομένου*). Deo ipsi proximus in deo ipso est. Inter utrumque nullum spatium.[5]) A deo genitus natuque

1) Geschichtliche Darstellung der jüdisch-alexandrinischen Religionsphilosophie I, 221.

2) I, l. c. 225.

3) Die Lehre vom Logos in der griechischen Philosophie 256.

4) Die christliche Lehre von der Dreieinigkeit I, 70.

5) De prof. M. I, 561, *τῶν νοητῶν ἅπαξ ἁπάντων ὁ πρεσβύτατος, ὁ ἐγγυτάτω μηδενὸς ὄντος μεθορίου διαστήματος, τοῦ μόνου, ὅ ἐστιν ἀψευδῶς ἀφιδρυμένος.*

maximus est omnium, quae exorta sunt.[1]) *Εἰκών*, imago dei vocatur, quod Philo ex loco Genesis I, 27, ubi de creatione hominis agitur, comprobare vult. Illum locum וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם בְּצַלְמוֹ בְּצֶלֶם אֱלֹהִים בָּרָא אֹתוֹ LXX interpretati sunt: *καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, κατ' εἰκόνα θεοῦ ἐποίησεν αὐτόν.* Quum hac in versione non esset scriptum „*εἰκόνα*", sed „*κατ' εἰκόνα*", Philo hominem non imaginem dei, sed ad quandam dei imaginem, quae jam in *λόγῳ* ante creationem mundi atque hominis quasi exemplar normaque (*παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα, ἀρχέτυπον*) omnium creandorum aderat, factum esse judicavit.[2])

Porro *λόγος* vocatur dei *ὄνομα*, velamentum vel domus. *Λόγον* dei esse nomen, Philo ex loco Exod. XXIII, 20, 21 comprobat, ubi deus populo Judaico dicit: *καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ἵνα φυλάξῃ σε ἐν τῇ ὁδῷ .... πρόσεχε σεαυτῷ καὶ εἰσάκουε αὐτοῦ καὶ μὴ ἀπείθει αὐτῷ, οὐ γὰρ μὴ ὑποστείληταί σε· τὸ γὰρ ὄνομά μού ἐστιν ἐπ' αὐτῷ.* Dei *λόγος* domus est, nam in libro Genesis XII, 1 legimus: *ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου, καὶ ἐκ τῆς συγγενείας σου καὶ ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου*, quod Philo[3]) ita interpretatur: *ἡ γῆ* corpus est, *συγγένειά* sensus sunt, *πατρὸς οἶκος* humana est ratio, et dicit: *πατρὸς δὲ οἶκος λόγος, ὅτι πατὴρ μὲν ἡμῶν ὁ νοῦς, σπείρων εἰς ἕκαστον τῶν μέρων τὰς ἑαυτοῦ δυνάμεις καὶ δυνάμεων εἰς αὐτὰ τὰς ἐνεργείας, ἐπιμέλειάν τε, καὶ ἐπιτροπὴν ἀνημμένος ἁπάντων. Οἶκος δὲ, ἐν ᾧ διαιτᾶται, τῆς ὅλης ὑπεξῃρημένος οἰκίας ὁ λόγος·*

---

1) Leg. alleg. III, M. I, 121: *καὶ ὁ λόγος δὲ τοῦ θεοῦ ὑπεράνω παντός ἐστι τοῦ κόσμου καὶ πρεσβύτατος καὶ γενικώτατος τῶν ὅσα γέγονεν.*

2) De opif. m. I, 5; quis rer. div. h. s. I, 505; de prof. I, 547.

3) De migr. Abr. 388, 389 P.

καθάπερ γὰρ ἀνδρὸς ἑστία, καὶ νοῦ λόγος ἐνδιαίτημα. Ἑαυτὸν γοῦν καὶ ὅσα ἂν ἐνθυμήματα τέκῃ, ὥσπερ ἐν οἴκῳ τῷ λόγῳ διαθεὶς καὶ διακοσμήσας ἐπιδείκνυται. Μὴ θαυμάσῃς δὲ εἰ νοῦ τὸν λόγον ἐν ἀνθρώπῳ κέκληκεν (Moses) *οἶκον· καὶ γὰρ τὸν τῶν ὅλων νοῦν, τὸν θεὸν, οἶκον ἔχειν φησὶ τὸν ἑαυτοῦ λόγον. Οὗ τὴν φαντασίαν ὁ ἀσκητὴς* (Jacobus) *λαβὼν ἄντικρυς ὁμολογεῖ, ὅτι „οὐκ ἔστι τοῦτο, ἀλλ' ἢ οἶκος θεοῦ,*[1]) qui *οἶκος λόγος* est.

Nonnullis locis *λόγος* vocatur *σκιὰ τοῦ θεοῦ*. Bezaleelum, nomen aedificatoris tabernaculi foederis Judaici,[2]) Philo ex verbis Hebraicis בְּ, צֵל et אֵל compositum esse dixit, quod „*ἐν σκιᾷ ὁ θεός*" interpretatus est. Hac notione „*σκιὰ*" *τὸν λόγον* Philo intellexit.[3]) Quocirca non est mirum, quod Philo *λόγον* dei imaginem accommodatam, quae ad deum habet rationem ut exemplum ad exemplar vel ut umbra ad corpus, judicavit. *Λόγος* umbra est a deo ejaculata. Quae umbra extrema dei habet lineamenta sine ejusdem lucis copia. Attamen splendorem quendam possidet divinum quamquam non plenum. Qua de causa Philo *λόγον* ex loco Genesis XXXIII, 22: *ἡνίκα δ' ἂν παρέλθῃ δόξα μου*, nominat *τὴν περὶ θεὸν δόξαν*[4]), vel ex loco Genesis XXXI, 13, ubi deus dicit: *ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ θεοῦ*, imaginem dei habet apparentem.[5]) Ad extremum *λόγος* dei est instrumentum, *ὄργανον*, quo mundus factus est, *ὕπαρχος*, dei in mundo vicarius, qui voluntatem dei indicat,[6]) *ἑρμηνεύς*, dei in mundo interpres,

---

1) cf. Genes. XXVIII, 17.

2) cf. Exod. c. XXXV.

3) Leg. alleg. III, M. 106: *Ἑρμηνεύεται οὖν Βεσελεὴλ ἐν σκιᾷ ὁ θεός. Σκιὰ θεοῦ δὲ ὁ λόγος αὐτοῦ ἐστιν.*

4) De monarch. II, 228.

5) De somn. I, 655, 656.

6) De agricult. I, 309.

qui divinam voluntatem explicat,[1]) υἱὸς θεοῦ πρεσβύτατος, immo etiam θεὸς vel δεύτερος θεός.[2])

V.

Age inquiramus, quali modo λόγος Philonis exortus sit, videamusque, utrum sit vis quaedam an persona.

De origine λόγου Philo non eadem semper docet. Nonnullas sententias, quae ad originem τοῦ λόγου pertinent, in medium prolaturi sumus. Verba, quae crebro in scriptis philosophi inveniuntur, sunt quae sequuntur. Primum Philo voce „λαλεῖν“ utitur. Deus est ὁ λαλῶν, λόγος est ὁ λεγόμενος, est verbum dei. Deus suam effatur rationem; ratio dei fit verbum. Porro invenimus verba γεννᾶν vel ἀνατέλλειν. Deus genuit λόγον, quare, cum mundus υἱὸς νεώτερος vocetur, λόγος υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ πρεσβύτατος vel πρωτόγονος appellatur.[3]) Accuratius τοῦ λόγου origo describitur, si deus primum vocatur lumen vel fons, ἡ πρεσβυτάτου λόγου πηγή. In summa Philo de origine τοῦ λόγου ita scripsit, ut, quid de hac re senserit, recte intelligere non possimus. Hoc loco deum Philonis cum illa natura non creata, sed creante, et λόγον cum illa natura creata, sed creante, de qua nono saeculo p. Chr. Scotus Erigena locutus est, comparemus.[4])

Quid dicamus de λόγου persona? Si Philo λόγον omnium rerum ducit rationem, animam mundi, legem ac vinculum naturae, custodem boni, animam animarum, conscientiam et sapientiam, qua omnia in mundo sapientissime disposita et constituta sunt, si λόγον judicat fontem, ex quo omnis fluit sapientia, si docet, λόγον

---

1) Leg. alleg. I, 128.
2) De conf. ling. I, 413, 414, 427.
3) De conf. ling. I, 413, 414; quis rer. div. h. s. I, 227.
4) cf. Sc. Erigena, de divisione naturarum.

esse *τομέα*, ex his omnibus *λόγον* Philonis esse personam nobis concludere non licet.

Sin autem *λόγος* vocatur *υἱὸς τοῦ θεοῦ*, *υἱὸς πρωτόγονος*, *πρεσβύτερος*, *πρεσβύτατος*[1]) vel *θεός* vel *δεύτερος θεός*, vel primus coelestis homo, *ἄνθρωπος θεοῦ*, ad quem homo terrestris factus est, si describitur *εἰκὼν τοῦ θεοῦ*, *δημιουργός*, *ὑπηρέτης*, *ἑρμηνεὺς*, *οἰνοχόος*, *ἱκέτης*, *ἀρχιερεὺς*, *πρεσβύτατος ἄγγελος* vel *ἀρχάγγελος*, sin est angelus, qui Hagari apparuit[2]) vel qui Sodomam et Gomorram diruit,[3]) si denique dei habetur imago, quam Moses in monte Horebo vidit, vel nubes, quae inter Judaeos et Pharaonem intercessit, vel columna, quae Judaeos per solitudinem duxit, — hisce ex omnibus *τοῦ λόγου* persona concludi, sed non comprobari potest. Angelus enim *λόγος*, Bileamo obviam factus, ex ipsius Philonis sententia conscientia est.[4])

Non dubito an sit permagni momenti locus de somn. I, 640: *εἰδέναι δε νῦν προσήκει, ὅτι ὁ θεῖος τόπος καὶ ἡ ἱερὰ χώρα πλήρης ἀσωμάτων ἐστι λόγων· ψυχαὶ δέ εἰσιν ἀθάνατοι οἱ λόγοι οὗτοι. Τούτων δὴ τῶν λόγων ἕνα λαβὼν (Ἰακώβ) ἀριστίνδην ἐπιλεγόμενος τὸν ἀνωτάτω καὶ ὡσανεὶ σώματος ἡνωμένου κεφαλῆς ἱδρύεται διανοίας τῆς ἑαυτοῦ ...... ὡς ἀναπαυσόμενος ἐπὶ λόγῳ θείῳ.* Ex hoc loco, in quo *λόγοι* et *λόγος* inter animas numerantur, Heinzius[5]) *λόγον* Philonis esse personam concludit. Idem Gfroererius[6]) ex loco de somn. M. I, 656, demonstrare vult. Ibidem Philo locum Genesis XXXI, 13, ubi deus Jacobo somnianti dicit: *ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς ὁ*

---

1) De conf. ling. P. III, 342: *τοῦτον γὰρ πρεσβύτατον υἱὸν ὁ τῶν ὄντων ἀνέτειλε πατὴρ, ὃν ἑτέρωθε πρωτόγονον ὠνόμασεν.*

2) De somn. I, 656.

3) De somn. P. V, 40.

4) Quod d. s. im. I, 299.

5) L. c. 294.

6) L. c. I, 285.

ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ θεοῦ, attente esse contemplandum judicat. Putat enim, primo hujus loci obtutu duos videri esse deos, sed re vera unum modo esse deum et tantum per usurpationem (*ἐν καταχρήσει*) plures; scripturam sacram verum deum semper articulo denotare, cum alter, qui modo nomine sit deus, articulo non notetur, nam dictum esse: *ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ „οὐ τοῦ θεοῦ", ἀλλ' αὐτὸ μόνον „θεοῦ"*. Hoc verbo *„θεοῦ" λόγον* esse intelligendum. Si deus in dei loco appareat, deum nunquam mutari, sed eum tantum simulantem angeli figuram et speciem apparere, ut ii, qui deum verum spectare non possint, edoceantur. Ex hoc Gfroererius *τοῦ λόγου* essentiam personalem concludere vult. Sed, quod Philo *λόγον* modo vim quandam modo essentiam personalem explicasse videtur, de hac re, utrum *λόγος* Philonis persona sit necne, recte dijudicare non possumus.

Quid denique in summa de Philonis *λόγῳ* dicamus? Nos profitemur, difficile esse dictu, quid Philonis *λόγος* sit. Summa est omnium, quae antiquissimis temporibus apud Judaeos Palaestinenses de מַלְאַךְ Jehovae, de facie, (פָּנִים) dei, de שַׂר צְבָא יְהוָה, apud Judaeos Alexandrinos de verbo *„σοφία"*, apud Graecos de verbo *„λόγος"* proferebantur. Philonis doctrinam de *λόγῳ* ad artis formam exponere non possumus, nisi hanc illamve Philonis sententiam dimissuri.